



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***MAUMERENSIS*\***

In Indonesia nova conditur dioecesis Maumerensis appellanda.

Verbum glorificantes Dei, quod manifestatum est in carne et praedicatum est gentibus, singularem nunc vertimus attentionem ad Ecclesiam quae est in Indonesia. Fidelium enim istius Nationis spiritalem progressionem cum animi Nostris gaudio considerantes, de nova cogitamus dioecesi ibi instituenda. Idcirco quorum interest cognita sententia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, ab archidioecesi Endeheana separamus partem orientalem territorii ex quo novam dioecesim constituimus Maumerensem appellandam, cuius limites civilem regionem v.d. Sikka amplectuntur. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v.d. Maumere statuimus templumque ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Ioseph dicatum, ad gradum evehimus templi Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Maumerensem Metropolitanae Ecclesiae Endeheanae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, Nuntium Apostolicum in Indonesia deputamus, necessarias eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto decimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo quinto, Pontificatus Nostris primo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

CRESCENTIUS card. SEPE

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 1, pp. 6-7

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana